

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Alberti v. Haller Domini In Goumoens Le Jux Et Eclagnens.
Præsidis Societatis Reg. Goettingensis ... Primæ Lineæ
Physiologiæ In Usum Praellectionum Academicarum**

**Haller, Albrecht von
Lausannæ, MDCCLXXI.**

VD18 11701269

Cap. XXVII. Partes Genitales Viriles.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17141

470 PARTES GENITALES

liberorum, mucum levissimum vesicæ satis nos tutos præstare, nisi aquæ sabulosæ topoque plenæ: & potus vinosi: & viscidissimi cibi; & quies nimia: & retentio urinæ contra naturæ leges diuturnior, & corpus aliquod viscidum calculosam terram adtracturum, & morbi denique renales, terræ calculosæ copiam, adhæSIONem præstarent.

C A P. XXVII.

P A R T E S G E N I T A L E S
V I R I L E S.

DCCCVI. Proxima renibus vasa genitalia oriuntur, & quidem in omnibus fere animalibus. Ita voluit opportunitas duplicis in uno organo utilitatis, quod & urinam egereret, & semen, & relatio partium genitalium ad intervallum summorum femorum, pertinens ad munditiem, pudorem, facilitatem partus, mictionis, vim nixus.

DCCCVII. Semen masculinum nascitur in teste, deponitur in vesiculas feminales, expellitur ex pene, injicitur in uterum, fecundat ovum: inde ratio nostri ordinis. *Testes* humani, exigui pro corporis mole, intra peritonæum in tenero fetu, deinde

fenfim sub eodem, in inguine, denique sub inguine, in plena ætate, ponuntur, fitu mutato, vi forte simplici ponderis, irruentis sanguinis. Neque tamen nunquam etiam in adultis hominibus in inguine restitant. Descendunt per patulam in fetu viam, cellulofam, quæ *processus* dicitur, ducentem ex cavo peritonæo in scrotum; eademque via transmissio teste, secundum naturæ legem constringitur, & confervet.

DCCCVIII. Variis tegumentis testis defenditur: Et primum *scrotum* ipsi circumponitur, quod fit cellulosa tunica densa, vasculosa, in solidam membranam stipata, cuti accurate adhærente, cui aliquis elasticus motus a frigore est, & in venere, absque tamen ulla fabrica musculari; solet autem corrugari, dum agit, & testes sursum ducere. Hæc cellulosa tunica, quæ *dartos* vulgo dicitur, singulo testi seorsim circumponitur, unde in utriusque conjunctione septi species in siccato corpore nascitur: Id septum superne ad penem sæpe imperfectum est.

DCCCIX. Dartos interiorius laxatur in cellulofam telam, ut alibi, inflabilem, sed absque pinguedine, si imam partem scroti exceperis. Tunc musculus sequitur, quem ab officio *cremasterem* dixerunt, ortus a fibris degenerantibus obliqui minoris abdominis, & a tendine obliqui externi, quem

ligamentum vocant, & nonnunquam ab aliis fibris ab offe pubis descendentibus, expansus in vaginam, posterius, denique undique amplexus testem, quem comprimit, levat, emulget.

DCCCX. Altera nunc cellulosa sequitur, exteriori telæ spongiosæ continua, quæ peritonæo circumponitur, hanc *vaginalem* vocant. Hæc amplioribus, quam alibi bullis fit, quarum alia post aliam inflari potest. Ad principium testis, super epididymidem, pars vaginalis tunicæ, quæ testem ambit, ita separatur a reliqua parte, quæ super testem, versus anulum musculorum abdominis est, ut vix flatus continetur. Inter hanc membranam & sequentem, spatium est, in quod vapor halat, & aquula nonnunquam effunditur. Intimum testis involucrum *albuginea* dicitur, robusta, alba, stipata membrana, quæ testis carnem proxime coerces.

DCCCXI. Testis magis proprie dictus ovalis est, vertice acuto sursum spectante & paulum extrorsum. Epididymis aliquod quasi testis additamentum est, plana, crassior tænia, quæ oram testis posteriorem legit, & per cellulosam telam, & per vasa ei connexa: inferius planior, superius crassiori & convexiori capite ad testem adnata & parte ima, media sede partim adnascitur partim libera saccum cæcum efficit.

DCCCXII. Ad testem arteria descendit, una utrinque, *spermatice* nomine, quam aorta sub renalibus generat, non tamen raro vel renalis, vel capsularis aliqua, vel aorta supra renales arterias. Hæc arteria, in toto corpore humano pro longitudine sua alioquin minima, descendit extrorsum ante psoam, dat ramulos hepatis, adipi renali, ureteri, glandulis lumbalibus, mesocolo, peritonæo, & imprimis circa inum renem flexam adiposam insignem: neque tamen minor, serpentino ductu pergit retro peritonæum, ad anulum usque abdominalem. Is fit unice ex muscoli obliqui majoris abdominis fibris tendineis, descendibus, hiatu longo, deorsum latefcente interruptis, quarum plurimæ, tenuiores, interiores, partim in os pubis medium late demittuntur, partim decussatæ cum fibris muscoli alterius lateris coeunt, has *columnam internam* vocant. Aliæ exteriores, valentiores, hiatu illo a prioribus distinctæ, in ossis pubis latus exterius crasso lacerto infiguntur, vocant *exteram columnam*, a qua variæ fibræ in fasciam latam & inguen aberrant. Superiorem partem hujus hiatus aliqua ex parte claudunt fibræ a columna exteriori ortæ, incurvæ, per internam columnam & debiliorem ascendentes. Infra eas fibras per exiguum hiatum reliquum, sæpe tendineo lacerto divisum, descendit arteria spermatica cum vena, & ductu de-

474 PARTES GENITALES

ferente, & cellulosa multa in funiculum cylindricum formata; ante columnam exteriorem, nullum per foramen peritonæi, quod utique antèrius sibi inpositum habuit. A sede ejus anuli cum funiculo vasorum ductus deferens conjungitur, & porro totus fasciculus in inguen venit, inque scrotum. Arteria spermatica multos ramos cremasteri dat, & cellulosæ tunicæ, & scroti septo, adque testem duobus plexibus descendit, quorum princeps inter epididymidem, & ortum vasis deferentis ad medium imumque testem venit, & transversis ramis per albugineam incedit; alter comes ductus deferentis testem adit sine simili, cum priori varie inosculatus. Aliæ arteriolæ ad involucra testis adveniunt ab epigastricis, aliæque ab vesicalibus sequentes ductum deferentem. Utræque cum spermaticis vasis communicant.

DCCCXIII. Arteriolæ istæ plurimæ epididymidem circumcludunt, majores vero transversæ per albugineam migrant, eaque passim perforata, in testis intima veniunt, & per septula membranacea numerosissima per eum undique distribuuntur. Nulla major arteriæ spermaticæ cum vena connexio aut anastomasis hic est, quam alibi; neque nullus sanguis ramis intra albugineam, in testem receptis inest. Sed longum iter, gracilis diameter, flexiones serpentinæ, ramorum magna ad trunculum

ratio, locus frigidus, demonstrant, lente sanguinem ad testem advenire, & paucum.

DCCCXIV. *Vena spermatica* dextra ad cavam, sinistra ad emulgentem venam sanguinem refert, vel in utramque, enormiter major arteria sua, & in trunco & in ramis, ejusque comes, sed uberior truncis pluribus, serpentinis, in racemum plexuosum longissimum in ipso abdomine inplexis, qui arteriam irretit, & in testem usque continuatur, sensim, ut arteria duplex. Valvulæ in hac vena aliquæ sunt, sed raræ.

DCCCXV. Exteriora involucra testis arteriolas habent ab epigastricis, & scrotum a cruralibus truncis, & eorum ramo interno, quæ pudendæ externæ vocantur, venasque socias ad saphenam & cruralem mittunt.

DCCCXVI. *Nervi testis* multi sunt, & sensus peculiariter tener, ut continuo deliquia animi & convulsiones læsum testem sequantur, & ipsa etiam potissimum maxillarum constrictio. Profundi alii oriuntur a plexu renali, a plexu mesenterico maximo, a trunco nervi intercostalis, & a mesocolico demum plexu, & vasa spermatica sequuntur. Alii superficiei propiores, ad involucra testis, a secundo, tertio & quarto lumbalium descendunt.

DCCCXVII. Lymphatica vasa in funiculo spermatico sæpe vidi, quæ creduntur

476 PARTES GENITALES

orta esse a teste ipso, & iis se immiscent, quæ vasa inguinalia comitantur. Nuperima industria aliqua ad testis usque rete deduxit.

DCCCXVIII. Sanguis lente motus & paucus, per arterias testis in ejus intima advectus DCCCXIII. dividitur in minima vascula, quæ in *vasa seminifera* omnino succum deferunt, etsi modum ignoramus, quo arteriæ cum iis canaliculis communicant, ex quorum glomeribus totus testis componitur. Ea exigua, serpentina, solidiuscula; minimam rationem luminis ad membranas habent, non cæca tamen, quæ non semel per ductum deferentem repleverim; & in glomeres longe supra viginti colliguntur, septis cellulosis, distinctos, quæ ab albuginea in testem descendunt & arterias venasque adducunt. In quolibet septo ductus est, qui semen a feminiferis vasculis recipit. Ii viginti aut plures ductus, *rete* faciunt, albugineæ membranæ adhærens, ex vasculis longitudinem sequentibus, & inter se anastomosibus commiscentur, inque cellulosam telam circumpositam hydrargyrum facillime effundunt. Ex eo rete in summam partem epididymidis ascendunt vascula viginti, triginta, quæ, in miras plicas contorta, totidem *conos vasculosos* efficiunt: ii intermedia cellulosa juncti, sibi que incumbentes, caput epididymidis efficiunt, & cito in eo capi-

te, extra testem in unum ductum confluent.

DCCCXIX. Is unicus ductus infinitis, nullo alio exemplo, plicis & serpentinis flexionibus intricatus, plurima laxa cellulosa connexus, & una continua membrana ab albuginea nata collectus, efficit *epididymidem*. Ductus vero, quo epididymis componitur, sensim latefcit descendendo, indeque contra se ipsum, in facie testis posteriori, adscendit denuo, sensim spiras suas, jam multo crassiores explicat, & nunc *ductus est deferens*. Fere semper tamen alicubi de deferente ductu vasculum tenue secedit, & cum funiculo ascendit, incerti finis.

DCCCXX. Hoc iter describit semen, propulsum motu liquidi a teste succedentis, forte & cremasteris, sed lentissime, ut æstimari potest ex miris plicis epididymidis, omnem fere injectionem impedientibus, ex longo tempore, quod post exhaustas vesiculas seminales ad reparandum semen requiritur.

DCCCXXI. Cylindricus ductus deferens crassissima spongiosa substantia inter duas firmas membranas factus, tubulo per exiguo perforatus, incipit ab ima epididymide, ascendit in funiculo vasorum spermaticorum, transit per anulum DCCCXXII. descendit in pelvim, adponit se vesicæ, medius inter ureteres, invenit subjectum

478 PARTES GENITALES

ipsi receptaculum, quod *seminalis vesicula* dicitur, dextrum sinistrumque. Hic deferens ductus interior vesiculæ adfidet, ad prostatam usque glandulam, & eundo dilatatus, serpentino ductu flexus, cellulofus ipse adparet. Proxime vero prostatam ductus ex iis cellulosis anfractibus continuatus cum ductu conico, ex vesicula prodeunte, coit acutissimo angulo, & una confluit in ductum, & ipsum conicum, qui deferenti potius continuatus per prostatam se demergens, magna ibi plica flexus & ad angulum rectum a sodali alterius lateris discedens extrorsum, arctatus aperitur in urethram, in tumidi, longe caudati, cavi colliculi, lateralibus duobus ostiolis, perangustis. In cadavere liquor injectus ductui deferenti & in urethram defluit, & in vesiculam, in istam tamen plerumque promptius: sed in vivo homine semen extra venerem nunquam effluit, & ductus adeo deferens omne suum semen, nihil morante retrogrado angulo, *vesicula seminali* tradit.

DCCCXXII. Eo nomine vocatur membranaceum, firmum intestinum, vesicæ subjectum, & multa cellulosa tela revinctum, ex quo decem, & ultra, cæca intestina exeunt, aliqua etiam ramosa, & divisa, finis autem posterior cæcus, & conicus est. Id intestinulum multa firmeque cellulosa, & vasis injectis, & perito-

næo succumbente, ita contrahitur, ut in brevem serpentinum glomerem colligatur. Fabrica cæterum externæ membranæ pulposa est & crassula, & aliquid cum ductu deferente simile habet. Interna rugosa est, villosæ vasorum biliariorum & reticulatæ tunicæ similis, araneosis villosa flocculis, & poros dicitur habere, & glandulas, mihi ignotas, recessus autem varios cavosque certo habet.

DCCCXXIII. Liquor, qui eo deponitur, in teste flavescit & tenuis est, & aquosus, & eam indolem in vesiculis conservat, magis tamen ibi & viscidus & flavus, albus demum in homine, quando cum prostatae liquore commistus in unum abiit. Odor ipsi in quolibet animale peculiaris, & gravis est, pondus inter liquores humanos maximum. In aqua tamen pars abit in araneosam natatilem cuticulam, pars major quasi pulposa fundum petit: inque ea in castis hominibus diu servatum semen nitentes globulos nudo oculo facile conspicuos in albo magis liquore mistos videas. Plurima habet de muco.

DCCXXIV. Absque eo in uterum advecto, nullum animal, quod duorum sexuum sit secundum fieri potest. Ratio latuit, donec microscopia docuerunt, totum hunc liquorem in homine, & in omni alio animale, plenum esse vivis ani-

480 PARTES GENITALES

malibus, anguillarum similibus, sed crasso in homine capite, cauda longa & gracili certo conspicua, quæ in femine sano a tempore pubertatis perpetuo reperiuntur, ante id tempus, & ab ægris infecundis absunt, neque in nullo alio animali humore reperiuntur. Animalcula esse intelligitur ex motu vario, evitatione concursus, retrogressu, mutatione velocitatis.

DCCCXXV. Summa dubitatio fuit de utilitate vera horum animalculorum, eritque alio loco de recepta opinione disputandum, quæ facit futuri animalis primam quasi phasim esse. Mihi interim natura feminis animalis videntur animalcula, ut in aceto anguillulæ, aliæque sunt in pasta farinacea.

DCCCXXVI. Ex sanguinis lymphæ semen nasci, & ad lympham chylum accedere credas, cum a pastu subita alacritas ad venerem superveniat, quam jejunia frangunt. Conponitur ex testis liquore & vesicularum seminalium, isto quidem in nonnullis animalibus evidentiore, & lacte prostatico coagulabili. Is tamen solus secundat, qui in testibus generatur, spadonum exemplo, qui cum vesiculis seminalibus & prostata steriles sunt.

DCCCXXVII. Hoc semen in vesiculis adservatur, quamdiu neque vigil homo venerem exercet, neque per infomniam ludit. Eo tempore toto præsens quidem copia

pia

pia animal ad venerem stimulat, sed multa & maxime volatilis, odora, vis feminis resorbetur in sanguinem, eique addita, miras mutationes inducit, totum animal odore suo imprægnat, barbam, pubem, cornua produci jubet, vocem mutat, moresque. Neque enim hæc animali ab ætate accedunt, sed a femine, & in perpetuum ab eunuchis absunt. Animalium castratorum incrementum & robur minuitur, integrorum vero ferocia & fætor per totam carnem diffusus invalescit. Et in certis exemplis animalium, sed etiam hominis, funestam vim irritantem per convulsiones excitatas demonstravit. Semen retineri videtur ob angustiam ductus feminalis, duritatem prostaticæ, aliasque non satis notas causas.

DCCCXXVIII. Exigua copia feminis est, quæ in homine, una vice, ex vesicula emulgetur, maxime si non diu venere abstinerit, & lente nasci æquum est, ex tantilla, & subcutanea arteria. Acceleratur ejus generatio ab amore, a præsentia cupitæ feminæ, ut cum sensu doloris sua vasa distendat. Natura ergo ipsa, & ad speciem humanam conservandam venerem inperat, & ad propriam sani viri valetudinem. Ex teste vero in-vesiculas venire morbi ostendunt, qui ductu deferente impedito testis fecerunt tumorem.

X

482 PARTES GENITALES

Ex vesicula non exit, nisi per veneream emulsionem.

DCCCXXIX. Parcum cum semen sit, ut majori tamen vi longius projici possit, accedit novus humor, quem *prostata* generat. Ea glandula cordi similis, antrosum gracilior, ambit orientem urethram, continetque, sed superiori glandulæ superficiem proximam. Densissima & solidissima glandularum, fabricæ peculiaris, neque evidenter conglomerata, liquorem parat album, spissum, mitem, copiosum, qui in vallecula, ad latus ostiorum vesicularum feminalium excavata, per numerosos ductus effunditur ab iisdem causis, & una exsilit, inque semine suo albore suoque viscere dominatur.

DCCCXXIX. Urethra in universum cylindrica, tamen in tres majusculos dilatatur; in prostata primum qua sedes est capitis gallinaginis: in bulbo alterum, tertium in principio glandis. Ductus primo horizonti parallelus, in universum; inde secundum ossa pubis ascendit, denique in viro, extra tempus veneris pendula est. Ex nervea vesicæ tunica continuatur, & intus obducitur glaberrima epidermide, quam inter & nerveam tela est cellulosa.

DCCCXXX. Sed eam urethram firmam esse oportebat rectamque, ut cum aliquo robore in distantem uterum semen ejice-

retur. Ergo triplex cavernosum corpus ipsi circumjectum est. Primum, proprium urethræ, incipit, postquam is dictus ex prostata prodiit, crasso, pene cordiformi initio, & sub urethra primo ponitur, deinde eandem etiam superne, sed ibi tenuius complectitur, & per totum penem comitatur, donec in glande inferne quidem terminetur, superne vero ab extrema urethra redeuns, dilatatum contra penem recurrat, latoque & tenuiori, & rotunde circumscripto sine, terminatum penis corporibus cavernosis incumbat, & cum iis plerumque per imperfectum septum communicet. Fabrica hujus corporis cellulosa est, sed laxior, & laminis potius, quam fibris, in rete intertextis fit, inter duas firmas membranas interceptis.

DCCCXXXI. In hoc cavernosum corpus sanguis arteriosus effunditur, ex arteriis profundis, ab hæmorrhoidæ externa advenientibus DCCCXXXVI. Id demonstrat injectio cujuscunque liquoris, qui ab iis arteriis facile in hæc cellulosa spatia urethræ circumjecta effunditur. Non ideo sponte sanguine tumet, quod venæ adsint, perinde patulæ, & proportionè effusi sanguinis resorbeant. Sed compressis iis venis, per vires dictas DCCCXXXIX. sanguis in cellulosis spatiis retinetur, dum fortiores arteriæ suum adfundere pergunt. Ita stagnans distendit urethræ bulbum,

484 PARTES GENITALES

corpus cavernosum urethrae, & glandem ipsam. Id plerumque tunc demum fit, quando reliqua cavernosa penis corpora jam rigida sunt, cum quibus hoc cavernosum corpus minime communicat.

DCCCXXXII. Sed ea penis cavernosa corpora oriuntur ab ossibus ischii, pene imis, cum quibus alba, cellulosa, sed densa & firma materia conjunguntur. Inde introrsum, & ad se invicem inclinata, urethram comprehendunt, ante bulbum, ibique, mutata directione, porro parallela, & urethrae sibi in medio subjectae conjunctae, antrorsum feruntur, & sine satis acuto in ipsa glande terminantur, & ad latera comprehensa cavernoso urethrae corpore, & haec corpora fiunt firmissimo involucre, & carne interna spongiosa, ut in urethra DCCCXXX. quae pariter sanguine recepto turgere potest. Inter utrumque saccum cavernosum medium septum est, fibris factum, tendinescentibus, firmis parallelis, deorsum angustioribus, neque continuis, ut media spatia ampliora, & plura, interposita habeant, quo anteriora sunt, & communicationem inter corporis spongiosum dextrum & sinistrum liberum relinquunt. Aliae hujusmodi fibrae praeter septum utrinque corpus cavernosum percurrunt, atque sacco firmissimo inferuntur, distentionem minimam & aneurysma penis impediunt.

DCCCXXXIII. Hæc cavernosa corpora multa tenerrima tela cellulosa ambeuntur. Hujus pars proxima iis corporibus tensa & firma est, & membranæ similior. Extra eam tenerrima cellulofitas est, cum ea scroti continua, & cute tenui absque adipe comprehensa, eo semper tenerior, quo cuti propior est, ab impulso aere in pulchrum bombycinum textum abitura. Glans vero (DCCCXXX) cute ita tegitur, ut ea a pene continuata, contra se ipsam reflexa, ut in palpebris, sua epidermide utrinque tecta, & sua media cellulosa farta, quæ vocatur *præputium*, & retrahi potest, ultimo iterum antrorsum ad penis glandem veniat, ibi mutetur in tenerum, molle, spongiosum, succulentum corpus, vehementer sensibile, tectum sua epidermide, & pulposo reticulo depresso, instratum reflexo corpori cavernoso urethræ (DCCCXXX) & cum ipsa urethræ membrana demum continuum. Revincitur idem præputium duplici triangulari frenulo, quo cutis cum penis involucro celluloso conjungitur, ad ostium usque urethræ. In vallecula, quæ coronæ glandis subjicitur, & in ipso eo circulo, folliculi simplices, sebacei, ponuntur, unguen separantes, ex loci natura fætidum, ut in aliis corporis humani partibus frictioni expositis. Totum penem sustinet firma cellulosa tela, in triangularis ligamenti speciem facta, quæ a synchon-

drofi offium pubis descendit, & cum cellulosa illa densa, duraque tela, cavernosa corpora ambeunte, continuatur.

DCCCXXXIV. Totus penis in homine cylindricum corpus efficit superne depressum, mutabili magnitudine, cujus utilitas est, in muliebria recipi, & eo semen deferre fecundum.

DCCCXXXV. Hæc nunc corpora penis cavernosa in coitu sanguine per arterias impulso, in venis retento, turgent, extenduntur, rigent, urethramque flaccidam, aut debilem, si sola rigeret, ita sustinent, ut in distantem uterum semen ipsum pervenire queat. Id demonstratur per sectiones animalium in ipsa venere occisorum, & erectionem artificialem a materie liquida vasis penis injecta. Causa est in amore, in desiderio voluptatis, in frictione glandis, in irritatione varia vesicæ, testis, vesicularum feminalium, urethræ, ab urina, a boni seminis copia, a veneno veneris, cantharidis, virgarum ictibus, nervorum convulsione. Sed causa hujus distentionis nondum manifesta est. Vasorum in partes genitales distributorum descriptio vix hic omitti potest, ut adpareat, quam non sit promptum, causam expedire, quæ venas comprimit.

DCCCXXXVI. Arteria aorta in quarta lumborum vertebra, vena cava in quinta finditur, hæc posterior, illa anterior. Ramis

iliaci communes, nondum in medio a principio femoris intervallo, deorsum introrsum insignem arteriam *hypogastricam* emittunt, trunco femorali in fetu majorem, in adulto æqualem. Ea descendit in pelvim, & in ramos quatuor, quinque, sex, principes consumitur. Eorum primus est *iliaca anterior*, quæ etiam duræ matri, & æquinæ caudæ, sursum in lumbos ramos mittit, & in sacrum os deorsum. Altera *sacra lateralis*, ad idem os sacrum & caudam equinam abit nisi a priori orta sit: Tertia *iliaca posterior* in glutæos fere consumitur. Quarta *ischiadica descendens* ad musculos varios, nervum, & levatorem ani abit. Quinta sive truncus, *hemorrhoidæ infima* sive *pudenda communis*, in ipsa pelvi ramos notabiles vesicæ dat, & recto intestino hæmorrhoidæam mediam cum mesentericis conjunctam, & ex pelvi exeunt, repit secundum obturatore, dat sphincteri, cutique ani *hemorrhoidæas externas*, finditur, ramoque interno bulbum urethræ & prostatam, externo iterum diviso, hinc profunde corpus cavernosum penis adit, ejusque longitudinem percurrit, inde alio ramo cum vesicalibus sæpe conjuncto, per dorsum penis excurrens, ad ejus corpora & in cutem ramis datis terminatur. Sexta *obturatric* est, ad articulationem femoris & musculos aliquos consumta. Ultimus ramus *umbilicalis* in fetu repetetur, quæ arteria

488 PARTES GENITALES

adulti hominis vesicæ, ex crassa sua callosaque vagina, propagines aliquot inpartit. Aliquando aliqui horum ramorum ex uno communi trunco veniunt. Cutis penis scrotique furculos habet ab epigastrica, a crurali, a ramo ejus interno. Hæ arteriæ externæ cum internis passim communicant.

DCCCXXXVII. *Venæ* in universum arteriarum similes, duobus sæpe truncis ex iliaca proveniunt, in rete coeuntibus; deinde vena *hemorrhoidæ*, circa os pubis redeuns, in prostata cum vesicalibus venis in pelvis ortis maximum plexum facit, a quo *venæ penis* nascitur, quæ sæpe solitaria est, & valvulas habet, quæ sanguinis iter ad cavam venam determinant. Venæ externæ penis scrotique eunt ad saphenam, ad cruralem, & cum internis plurimis locis communicant, omnium maxime ad basin præputii.

DCCCXXXVIII. *Vasa lymphatica penis* a claris viris visa, dicuntur sub cute penis decurrere. *Nervi* plurimi & maximi, comites arteriarum penis, a magno trunco ischiadico accedunt. Vesica vero & rectum intestinum, & uterus, accipiunt plexum *mesentericum infimum*, a medio natum & in pelvim descendentem.

DCCCXXXIX. Ut turgeat penis, oportet efficere, ut venæ (DCCCXXXVII,) sanguinem de corporibus cavernosis penis aut urethræ resumentes, comprimantur, aut certe vim inferre necesse est venis mi-

nimis, in corpus cavernosum ubique patentibus, ne sanguinem ex arteriis eo deportatum resorbeant. Illud utcumque potest levator ani, qui prostatam ex vesicam sursum pellit. Sed probabile fit, exemplo papillæ mammæ muliebris, pallearis in gallo pavone, ruboris in facie ex adfectibus animi nati, animalium, quæ omnia absque erectore musculo perinde venere funguntur, erectionis in animalibus tota fabrica ab homine diversis, & avibus inprimis velocissimæ, ab ipsa musculorum erectorum in erectione libidinosa quiete, eorum ad comprimendas venas ineptitudine, etiam absque musculis fieri posse, ut venæ sanguinem tardius resumant, & id fieri a latente in intimis laqueorum nervosorum multitudine, qui per vim voluptatis adstricti venas coercent, ut arctiores factæ minus sanguinis ad truncos reddant, quam quidem liberæ, & cum incitato pulsu una velocius sanguinem adducentes, arteriæ advehunt, quæ conjuncta causa est. Causa vero hujus convulsionis, in istis nerveis sphincteribus esse videtur, cum & a mechanica nervorum irritatione, & a subtili altera, quæ fit per imaginationem, penis perinde erigatur.

DCCCXL. Cum diuturna demum & valida erectione ultimo conjungitur seminis expulsio, & multo majorem vim requirit, quam quidem sola erectio. Tunc enim

semen sequitur, quando nervea irritatio ad summum pervenit: & in naturali quidem venere, quando serius repleta spatia cellulosa urethræ, & glans continua, demum sanguine turgent, ut ea plena calido, copioso sanguine rigent, hinc nerveæ papillæ erectæ vehementissime a causa voluptatis adficiantur. Et quidem vesiculas evacuant, moti vel a sola voluptuaria imaginatione, vel a pruritu summo nervorum glandis penis, maxime inferioris sedis, quæ frenulo vicina est, muscoli levatores ani, qui vesiculas feminales contra resistantem vesicam elidunt. Hinc semen nunquam cum urina in sano homine rejicitur, quod ad semen reddendum vesicam clausam esse oporteat, & laxa male vesiculis resistat. Transversi vero muscoli videntur urethram dilatare, ut semen ex vesiculis expressum recipiat.

DCCCXLI. Tunc paulo post, sensili urethra a semine irritata, vires ejus constringentes in actionem veniunt. Huc facit quidem princeps accelerator (DCCCII) qui vehementer bulbum, partemque urethræ proximam concutiens, eo velocius contenta expellit, quo magis diameter bulbi diametrum urethræ angustioris superat. Ut cum firmitate agere possit, sphincterem ani, hinc etiam vesicæ sphincterem, contractum esse oportet. Ille idem erectionis princeps musculus esse videtur, qui venas corporis cavernosi urethræ conprimat. Eodem tem-

pore *erectores penis*, ut vulgo vocantur, ab ischii osse supra tuber orti, valentes, inserti in corpora cavernosa, penem in media quadam inter perpendicularem & transversalem directione sustinent. Ita semen in vaginam, vel in ipsum demum uterum, in secundo congressu pellitur. Hæc actio vehementissima est, & convulsioni proxima, hinc mire debilitat, & late systemati nervoso nocet potissimum, ut videntur mala inde nascentia indicare, ex nervorum affectione, absque qua semen expelli nequit.

CAP. XXVIII.

UTERUS VIRGINEUS.

DCCCXLII. *Uterus muliebris* sedet in pelvis parte superiori, ut ante se vesicam, retro intestinum rectum habeat, ab utroque liber, & ostio suo paulum antrorsum declinet. In adulta muliere pelvi comprehenditur, infanti superat. Peritonæum ab osse pubis in feminis in pelvim descendit, & retro vesicam longe ad ima uteri migrat. Inde secundum uterum ascendit, & trans eundem secundo descendit, ad vaginam & hujus sedem transversam usque admotum, unde, lunatis plicis intestinum rectum comprehendens, nihil porro a virili fabrica diversum habet. Sed idem peritonæum a